



Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

Quod non debemus vltro nos offerre suppliciis. ca. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

Psal. 63

martyribus dicere poteris. Ego sum pauper & dolens, & salus tua deus suscepit me, laudabo nomen dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude. Interim martyrum tuum sit, castigare corpus tuum, & in seruitute redigere, ut obediatur spiritui, vigilare, orare, ieiunare, die ac nocte in lege dei meditari, euangelij præcepta obseruare, amicos inimicosq; diligere, nemini malum pro malo reddere, & parti potius quam inferre iniuriā. Talis vita eos etiam ad beatitudinis gloriam euexit, quos persecutionis gladius non attigit. Quotidianum quippe martyrium est, aduersus carnis molestias diabolusq; dolos assidue stare, & non sinere suffodi domum, nec irruentibus vitijs vasa diripi virtutis. Oportet igitur superbiā repellere humilitate, libidinem castitate parsimonia luxuriam, patientia iracundiam, liberalitate auaritiam: & breuiter vitium virtute. Sic vincere nō equidem minus laudabile esse reor, quam execranda infidelium imperia per tormentorum patientiam superare. Nam qui ita vitam instituerit, eum iam idoneū esse scias ad omnia dura, difficultia atq; aspera pro nomine domini preferenda. Non potest non habere talem tole-

S. Hieron.

randi affectum, qui domino in omnibus obsequēdi gerit curam. Audi Hieronymum dicentem: Utinam ob dominī mei nomen atq; iustitiam cuncta gentilium turba me persecutatur & tribulet: utinam in opprobrium meum stolidus hic mundus exurgat, tantum ut ego merear a Christo laudari, & suae pollicitationis sperare mercedem. Quoties igitur exercendae patientiae cessat occasio, nō cesset in nobis ipsa patiendi voluntas, & martyrum gloriæ participes esse merebimur.

Quod non debemus vltro nos offerre supplicis.

Cap. XXII

Mat. 14.

VErunt in persecutionib; vltro nos offerre ipsi nō debemus. Qm̄ temerariū est obīcere se periculis nulla cogente necessitate. Vn p̄cipit dñs, di-

De charitate Liber VIII. 505

cens: Cum vos persecuti fuerint in ista ciuitate , fugite ad aliā. Et ipse secessisse in desertū dicit, cū Iohānē Hero dis gladio perēptū audisset. Qñ etiā Iudæi ad feriendū illū lapides corripiuerunt, abscondit se (vt euangelista ait) & exiuit de templo. Poterat omnes vnico nutu interimere, & maluit fugere, vt nos doceret etiā imbecil hōmē iracundiam potius deuitare, q̄ resistendo magis ascendere. Paulus Damasci Iudæorū infidias, & p̄positi Aretæ regis minas per murum in sporta depositus ef-
fugit: non tñ mortis metu, sed dilatiōe, vt adhuc super uiuens multorū saluti consuleret . Nunq̄ enim cessauit p̄dicando. disputando, scribendo omnes q̄s erroribus implicitos cernebat, ad viā yiratīs reuocare : vt q̄ illos q̄s ad Christum conuerterat, in fide solidaret , saeuissimi Neronis furem contemp̄s̄it . Suo igitur exemplo monstrauit, tunc quidem mortem non esse timendam, cum prospiciendum est saluti aliorum: tunc vero fugiendam, cum magis expedit vt fugiamus, quam vt comprehendamur. Exempli gratia. Inter hæreticorum turbam fidelesque persequentium occulte Christianus es, vides alios deprehensoris torqueri, cædi, laniari, quamdiu fortiter tolerant, nec a fide recedunt, non est vt te ipsum prodas. Cum autem aliquis eorum titubare coepit, & supplicij victus cedere, palam eum exhortari ad patientiam debes , & in periculo animæ alienæ vietam propriam contineñere. Plus enim debemus diligere bonum animæ non nostræ modo , verum etiam alienæ, quam bonum corporis nostri , hoc enim tempore est, illud æternum, hoc carnale, illud spiritale, præferenda autem sunt carnalibus spiritalia, & temporibus æterna, & mortalibus nunquam moritura. Quod si te quoque in hoc pieratis agone intrepide currentem ab insidib⁹ occidi contigerit , gaude, quia iam cum illo uiuere incipies , qui pro omnibus occidi voluit, & in illo inclito glorioſoque martyrum cœtu receptoris exultabis , tuque donatus corona victoriæ sempererna.

Iohā. 8

2.Cor. i 2: